

CASUS CANONICO-MORALIS

DE QUIBUSDAM OFFICIIS PAROCHI (sequitur)

Idem TUBULLUS parochus

7- absolutionem denegat parentibus Julii, pueri undecim annorum, quia operationem chirurgicam permittere non volunt ut fiat eidem Julio, quae omissa, ipse Julius *certo* intra annum moritur;

8- absolutionem quoque denegat conjugibus qui, propter nimiam aetatem, extra vas seminant;

9- jus sibi praetendit personaliter assistendi matrimonio in ecclesia, intra fines suae paraeciae sita, specialem rectorem renitentem habente;

10- poenitenti jam satis disposito absolutionem denegat imponendo eidem, potius in poenam, ut quindecim post dies ad illam recipiendam redeat.

QUAERITUR: Quid de TUBULLO, in istis casibus, sentiendum.

AD 7 – Si operatio chirurgica ad vitam Julii conservandam est medium ordinarium, parentes tenentur operationem permittere, non vero si est medium extraordinarium. Ratio est quia homo vitam et sanitatem conservare tenetur mediis tantum ordinariis quae nempe nec magna adducunt incommoda, nec sumptus pro varia cujusque conditione ingentes exposcunt, neque dolores admodum acerbos causant¹, dum e contra, quaelibet res considerari potest medium extraordinarium si 'hic et nunc, è molto insolita, o molto dolorosa, o molto costosa, o molto difficile, o molto pericolosa, o se i buoni effetti che ci si ripromette dal loro uso non sono proporzionate alle difficoltà ed agli inconvenienti che comportano'². Notandum est etiam quod multae operationes chirurgicae quae in preteritis temporibus uti media extraordinaria, propter periculum mortis, considerabantur, hodie, propter admirabiles medicinae gressus, uti media ordinaria ab omnibus tenentur.

Notandum tandem quod si parentes sumptus pro operatione solvere non possunt et alius benefactor uti v.gr. aliqua pia societas vel status civilis, omnes sumptus praestat et medicus peritus, qui solus iudex est

¹ JORIO-TUMMOLO T.R., *Compendium Theologiae Moral.* Ed. V, Neapoli, 1934, I, n. 391, 3.

² HEALY E.F., *Medicina e Morale*, edizione riveduta e annotata da R. BORTOLOTTI, S.J., Ediz. Paoline, II ed., 1958, p. 97.

circa operationis naturam, tenet operationem in Julio non solum gravem non esse, sed et necessariam ad vitam Julii conservandam, parentes non possunt se amplius legitime opponi operationi, et si adhuc opponuntur medicus potest interventum auctoritatis civilis invocare ad illos cogendos ut eorum consensum dent. Ipsi parentibus adhuc irrationabiliter contradicentibus, ipsum gubernium civile potest, ne dicam debet, operationem praecipere et perficere.

Si parentes expensas solvere possunt sine eorum gravamine, ipsi tenentur ex virtute charitatis, operationem in filio procurare et perficere³.

Ex dictis satis patet utrum parochus noster bene fecerit necne.

AD 8 — Agitur hic de impotentia. Impotentia duplex est, una proprie dicta, i.e. impossibilitas *coeundi*, altera improprie dicta, impotentia *generandi*, quae si perpetua, *sterilitas* dicitur. Prima tantum dirimit matrimonium, dum altera nec dirimit nec impedit⁴. Ast, ut impotentia coeundi dirimat matrimonium requiritur ut sit antecedens et perpetua sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa⁵.

Ex dictis sequitur quod conjuges de quibus in casu, etsi senes, sunt adhuc veri conjuges; aliis verbis matrimonium eorum est adhuc validum, quia impotentia, si adest, in ipsis est *consecutiva* matrimonio, ex protectione aetatis proveniens. Ergo isti conjuges jus adhuc habent ad actus saltem imperfectos, modo citra periculum pollutionis fiant, quia matrimonium, etsi validum, nemini hoc jus concedit. Igitur conjuges de quibus in casu non tenentur vivere tanquam frater et soror; sunt enim veri conjuges et ita usque ad mortem nonobstante aetate decrepita.

Sed tota difficultas in casu habetur potius quoad copulam. Attamen copula conjugalis non est consideranda *physiologice* uti multi antiqui volebant, sed in possibilitate penetrationis membri virilis modo ordinario facta in vaginam mulieris verum semen virile, etsi spermatozoidis destitutum, ibi deposcentis⁶. Per hanc actionem humanam conjuges una caro fiunt, quod sufficit. Omne ceterum quod ad actionem naturae (prolis generationem) pertinet, non requiritur.

Hoc posito concludimus si conjuges de quibus supra ita impotentes facti sunt ut nullo modo, et quidem *certe*, semen deponere possunt

³ HEALY E.F., o.c., 24 caso, p. 120.

⁴ Can. 1068, § 3.

⁵ Can. 1068, § 1.

⁶ GASPARRI P., De Matrimonio, Ed. IX, Tipis Pol. Vat., 1932, I, n. 513.

saltem ad os vaginae cum aliqua partiali penetratione, non possunt rei matrimoniali operam dare. In dubio vero, licite uti possunt matrimonio etsi extra vas semen effundatur⁷, quia eorum jus possidet.

In praxi, bonus parochus, sicut et coeteri confessarii, non tenetur neque eum decet interrogare particularia et subtilia utpote indecora, sed similes conjuges moneat ut meliori quo possint modo opus matrimoniale perficere curent.

Ad 9 – Nullum dubium habetur quominus parochus intra fines sui territorii valide assistere possit matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum⁸, hancque facultatem alteri sacerdoti concedere possit⁹. Itidem certum est quod rector ecclesiae, sine delegatione ejusdem parochi vel Ordinarii loci, etsi in ecclesia sibi commissa, non potest valide assistere matrimonio¹⁰, imo neque alias functiones paraeciales peragere¹¹ et in officiis divinis celebrandis cavere debet ne ministerio paraeciali noceat¹².

Potestne ergo parochus jus matrimonio assistendi in dicta ecclesia sibi praetendere? Ad rem Canon 484, § 1: 'Sine rectoris vel alius legitimi Superioris licentia saltem praesumpta, nemini liceat in ecclesia missam celebrare, sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere'. Ex hoc sequitur quod si rector ecclesiae licentiam parochi denegat, matrimonium ibidem licite celebrari non potest, quia nullibi in jure statuitur quod rector absolute licentiam hanc concedere debet. Unicum jus parochi concessum a Jure est desumendi SS. Sacramentum pro infirmis¹³ et quidem si ecclesia, judicio Ordinarii, a paraeciali distet¹⁴.

In praxi, si res amice parochum inter et rectorem non componitur, ad Ordinarium loci recurrendum est.

Ad 10 – En monitum generale pro unoquoque confessario: 'Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se judicis pariter et medici personam sustinere ac divinae justitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat'¹⁵.

⁷ NOLDIN H., De Sacramentis, Ed. XXXI, Oeniponte, 1957, n. 570, 2.

⁸ Can. 1095, § 1, n. 2.

⁹ Ib., § 2.

¹⁰ Can. 1094.

¹¹ Can. 481.

¹² Can. 482.

¹³ Can. 483, n. 2.

¹⁴ A CORONOTA M., Institutiones J.C., Taurini, 1928, I, n. 497.

¹⁵ Can. 888, § 1.

Ex hoc perpulcro monito sequitur quod officium *essentiale* et *primum* confessarii est ut sit *judex*. Simul tamen confessarius debet esse *medicus*, ad morbos animae dignoscendos et sanandos, *pater* ad poenitentes benigne suscipiendos atque tractandos et *doctor* ad eos instruendos in iis quae pertinent ad sacramentum hic et nunc rite suscipiendum¹⁶.

Quatenus *judex*, confessarius imprimis instruere debet causam seu iudicium ferre de poenitentis peccatis eorumque morali malitia, scilicet num mortalia et quidem num sint specificè distincta. Ad hoc obtinendum saepius confessarius interrogare debet in confessione, *moderate* tamen h.e. ne sit nimis anxius ut confessio non sit poenitenti onerosa, *discrete* h.e. cum magna prudentia et praesertim in materia luxuriae in qua *melius deficere quam abundare* ut scandalum vel admiratio caveatur¹⁷, et *opportune* h.e. tempore et modo quo convenit fieri ne poenitentes offendantur¹⁸.

Causa instructa confessarius inquirere etiam tenetur in poenitentis dispositionem atque de ejusdem existentia iudicium sibi formare quod sufficit ut sit *prudens* et *probabile*, quod gravi motivo nitatur, cui non obstat gravis suspicio¹⁹.

Hoc circa poenitentis dispositionem iudicio facto, confessarius tenetur per se sub gravi ex iustitia hic et nunc poenitentem absolvere ex tacito contractu cum illo qui confessionem rite peregit et dispositus apparet. Hocque exigit finis institutionis sacramenti et tribunalis poenitentiae; secus onus intolerabile sine justa causa poenitenti imponeretur. Sacerdos igitur absolutionem poenitenti disposito denegans, injuste ageret, potestate clavium abuteretur, odiosum redderet sacramentum²⁰ et forsan periculum violationis sigilli induceret.

Concludendum est ergo quod: 'Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda, nec differenda est'²¹. Absolutio poenitenti rite disposito differri potest si dilatio *multum* profutura censeatur poenitenti et dum-

¹⁶ JORIO-TUMMOLO T.R., o.c., II, n. 584.

¹⁷ Cfr. Can. 888, § 2.

¹⁸ JORIO-TUMMOLO T.R., o.c., II, n. 600-602.

¹⁹ NOLDIN H., o.c. et l.c.n. 390.

²⁰ JORIO-TUMMOLO T.R., o. et l.c., n. 606.

²¹ Can. 886. *Absolutionem petere seu rite dispositum esse censeatur qui sponte confessionem sacramentalem instituit cum sincera voluntate veniam peccatorum obtinendi.* Cfr. JORIO-TUMMOLO T.R., o.c., n. 606 in nota.

modo poenitens *sponte et libere in dilationem consentiat*²², et quidem ad breve tempus, h.e. ad paucos dies non autem ad quindecim²³.

Ex dictis clarissime patet utrum Tubullus de quo in casu bene fecerit necne.

A. TABONE

²² JORIO-TUMMOLO T.R., o.c., n. 608; NOLDIN H., o.c., n. 391, 2, *nota*.

²³ NOLDIN H., o.c., n. 392, 2, d.